

PA
6142
W5

INDEX SCHOLARUM

PUBLICICE ET PRIVATIM

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE HIBERNUM

A D. XVI. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXXXIII
USQUE AD D. XV. M. MARTII A. MDCCCLXXXIV

HABENDARUM.

PRAEMISSA EST
UDALRICI DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF
DE TRIBVS CARMINIBVS LATINIS
COMMENTATIO.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT.

WILH. FR. KAESTNER.

1911
MAY 11 1911
LIBRARY OF THE
BUREAU OF LAND MANAGEMENT
WASHINGTON, D. C.

934439

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
FRIDERICUS MERKEL
CUM SENATU.

Adolphi Kiesslingii, qui mihi olim collega fuit, amicus semper erit suavissimus, acerba morte permoveor ut praestem quod vivo negaveram identidem flagitanti. cum enim ante hos decem annos in eo esset ut commentarium illum prelis subiceret, per quem nomen suum cum Horatio in saecula futura coniunxit, legere me iussit quae ad Carmina Horatii adscripserat. e quibus multa ego discebam, pleraque laudabam, de aliis longi reviviscebant sermones, quos de hoc potissimum poeta, qui inter Romanos maxime Graecus est, saepe egeramus, donec in indole studiis artibus Horatii aestimandis plane consentiremus, secus a vulgo, cui hic poeta, qui Romae in Augusteae aetatis luce viris scribebat sermones utriusque linguae doctis, in usum scholasticae umbrae, ludimagistrorum et puerorum, Pimpleum scandere montem videtur. sed singula quaeque recte intellegere velle infinitus labor est, neque fieri potest quin duo homines quamvis in summa re consentientes, ubi de singulis versibus aut carminibus agitur explicandis, in diversissima discedant. quamquam hi quidem disputando plerumque ad consensum deducuntur, modo erroris se convinci patiantur; vulgus ne quid ignorasse videatur nihil mavult discere. tunc igitur in eam carminis I 28 explicationem incidi, quam nunc paucis auctam propositurus sum. quae Kiesslingii plausum statim ferebat, sed neque ego ab illo impetrare potui, ut iure amicitiae in suum eam reciperet commentarium, neque ille a me, ut hoc breve foliolum splendidae coronae tamquam meum intersererem. nec facile nunc de latinis ego carminibus verba facerem, nisi amicitiae nostrae ita me litare quodammodo putarem.

Minime laudandum est carmen illud quod in Archytam inscribi

solet. intellegi enim omnino nequit, antequam perlectum sit, et quamvis intellectum obscuri aliquid et ut ita dicam caeci tenet. quod in poeta docto et subtili miraremur, nisi similia ipsi pateremur quicumque in scribendo memoriae et lectioni pleraque debemus. quid voluerit Horatius ostendere idem est atque quid apud alios lectum expresserit indicare. non servilem dico imitationem, quam ille et aliorum et sui severus iudex acerrime castigabat, sed eam quae omnium Musa est erit poetarum qui certa ac per alios eosque unice divinos vates stabilita artis poeticae specie ac forma utuntur.

Loquens inducitur mortuus homo, quem quod obruit Illyricum mare ad Archytae tumulum detulit in Martino litore extractum. locum in quo quasi fabula agitur apte indicat v. 3, sed de loquentis persona non ante v. 23 certiores finis, atque tam diu ut in lyrico carmine poetam loqui perperam opinati sumus. deinde ubi primum quis verba faceret apparuit, subito ad nautam aliquem se convertit oratio, a quo iusta sibi fieri mortuus ille vehementissime petit. ignoramus utrum nauta ille litus Martinum praetervehatur an ex ora propinqua ancoras solvat, ignoramus et mortui et nautae nomen et patriam, ignoramus utrum precibus mortui obtemperaturus ille sit necne. quae omnia minime profecto probanda sunt. quid igitur Horatium ad tam improbabilia deduxit? accedit quod ea quae ad Archytam mortuus de inevitabili omnibus morte disputat cum precibus quas nautae intendit nullo modo conspirant. itaque non mirandum est, fuisse qui aut delendo aut dissecando efficere conarentur quod Horatio dignum esset.

Sed de hac obsoleta iamiam interpretandi ratione, quae carmen iugulat, ut poetae laudem salvet, tacere licet. alia ratio est, qua per libidinem causae effinguntur, quibus admissis poeta omnia recte administrasse videatur. qualia si comminisci placet, duae adeo explicandi viae patent. fac, Horatius, quem maris pericula et expertum esse et ultra modum metuisse constat, in litore Martino naufragi corpus aliquando sepeliverit, in quod iuxta Archytae tumulum incidisset: videatur occasio, quam lyricorum carminum matrem esse clamitant, hanc quoque oden peperisse. qui ita luderet, recte quidem sentiret, non ex ignoti illius mortui, qui verba facit, sed ex Horatii animo omnia in hoc carmine dicta esse, quem improvisum et flebile spectaculum et irrisione Archytae et horrore mortis et religione supremi officii permovet. sed erraret idem, cum nautam, qui a mortuo appellatur, Horatium esse vellet. qui mercator est solitis Horatio coloribus descriptus. nisi forte mortuus in ignoti sane hominis rebus describendis erroris insimulan-

dus est. altera ludendi via ea est, ut a Maecenata in convivio hanc fere *θέσιν* Horatio propositam esse sumamus, *τίνας ἂν εἴποι λόγους νεκρὸς πρὸς τῷ Ἀρχύτου τάφῳ ἐκκείμενος*. tenemus enim haud pauca carmina quibus ad similes theses respondetur, et in Anthologia lyrica Palatina et Byzantinae quidem aetatis in Ma-
 trangae Anecdotis, et in Domitiani Capitolinis ludis poetarum certamina ita instituebantur, ut talia proponerentur, velut Sulpicius Maximus *καίριον* fecit *τίσιν ἂν λόγοις χρῆσαιτο Ζεὺς ἐπιτιμῶν Ἠλίῳ ὅτι τὸ ἄρμα ἔδωκε Φαέθοντι* (Kaibel Epigr. 618). quem usum a rhetoribus ad poetas transiisse probabile est; sed ne rhetorum quidem nisi sera harum *ἠθοποιῶν*, velut Libanii, tenemus exempla. ne hic quidem, qui haec de Horatio hariolaretur, nihil omnino mihi videretur egisse. nam Archytam cum naufrago aut casus re vera coniunxit aut ludibrium; quod vero homo mortuus isque ignotus cantans inducitur, a genuina lyricorum Graecorum poesi tanto opere abhorret, quam convenire videtur rhetorum ineptiis. tamen ne sic quidem Horatius satis excusaretur. qui etiamsi iussus hoc carmen fecisset, ipse sibi *θέσιν* proposuisse censendus esset, siquidem alieno imperio se obsequi nullo verbo significat. quae cum ita sint, longe alia circumspicienda sunt. quippe Pindaro quidem victoriam celebranti scimus quid propositum sit, quid Musam eius incitet; in unum diem certis ac notis hominibus carmen facit. Horatius vero scribit ut legatur, legentibusque praeter carmen ipsum nihil esse scit, quo in intelligendo adiuventur, nisi quod hominibus scribit pro aetate sua liberaliter eruditis. itaque iudicium quidem penes nos est, sed sive recte sive inconcinne Horatius fecisse iudicabitur, recta via ea tantum est quae ab ipso carmine interpretando proficiscitur.

Argumentum carminis non simplex esse vidimus, sed coniunctis pluribus et discordibus rebus perplexum. aedum explicemus singula, quibus explicatis cur coniuncta prostent quaeri poterit. quid sibi volunt ea quae de Archyta habet Horatius? laudatne eum facitque epigramma epitymbium? *te maris ac terrae numero-que carentis arenae mensorem*: magna haec. *οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμον τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης* Apollo iecerat; de arenario numero Archimedis tenemus libellum. laudari igitur mathematicus et Pythagoreus Archytas videtur gravissime. sed ad longe alia deflectit Horatius. tam divinum philosophum tamen communi hominum fato functum esse, occidisse etiam Tantalum (quem secundum famam vetustam et Horatio e Pindaro notam non morte sed immortalis mortis timore dei puniverunt) et Tithonum (quem immortalem fuisse constat) et Minoem (qui apud inferos non pulvis et umbra est, sed imperat umbris et, ut Sophoclis verbis utar, *πάμπνοχος*

ἀνάσσει) et Pythagoram (qui in vitam saepe rediit renatus). quorsum haec? serione an per ludibrium haec maxime exempla selegit Horatius? ecquid aliud vult quam vanas esse fabulas, vana Pythagorae placita. in hunc, Archytae doctorem, maxime invehitur. nam quod *unam ait omnes munere noctem, semel calcari leti viam*, in migrationem animarum aperte dictum est. qui cum auctorem *qui nihil ultra nervos atque cutem morti concesserat* sibi sordere proficitur, is immortalitatem animae reicit, ei mors ultima linea rerumst. ita sensit Horatius, qui ex Epicuri disciplina quam adulescens coluerat odium illud immortalitatis, quod inter summa religionis istius capita est, semper conservavit. quodsi hic inter mortuos non recenset nisi heroes quos aut vixisse post mortem aut omnino mortuos non esse fabulae ferebant, quod Hippolytum et Pirithoum neglectis fabulis notissimis in vitam redisse negat (IV 7), quod Promethea deum et Tantalum et Pelopem, quem coctum adeo et semesum vitae reddidit Iuppiter, exempla esse vult aeternae mortis (II 18), morem adeo agnoscimus, quo docte simul et acerbe opinioni plerisque carissimae illudebat. eiusdem igitur artificii longe clarissimum hoc est exemplum, cum mortuus, expertus scilicet quid rei sit, somnia Pythagorea coarguit. quantum hoc artificium nobis placeat, nihil ad rem: sibi placebat Horatius, cum mortui personam assumebat, ut ultra mortem nihil esse doceret. fateor talia a lyrico carmine abhorreere et mortuorum dialogis, quales cynicos secutus composuit Lucianus, magis convenire. sed Horatium *σπουδογέλοια* quae in satiris expressit haud raro etiam carminibus immiscuisse hodie satis constat. piget me sordidae in lyrico carmine imaginis illius, quae in notis illis est *crescit indulgens sibi dirus hydrops*, foedumque arbitror Graecum et medicum vocabulum in Latinis versibus. Horatium quid permoverit, intellegimus ex eis quae Kiesslingius adscripsit, Bionea nimirum imago est. itaque etiam de animae mortalitate sive ante eum alii ita luserunt, sive in via ab aliis monstrata ipse ultra progressus est: et quid voluerit et qualia exempla habuerit satis opinor cognitum est. atque, cur ad Archytae potissimum tumulum naufragi corpus proiectum esse voluerit, liquido apparet.

Alteram carminis partem epigrammatis Graecis debere Horatium recte dixit Kiesslingius, sed multo quam ille fecit certius disputari potest. divinum Simonidis carmen est Anth. Pal. VII 496, quod in Herma XIV 163 enarravi. Simonides dum e Scironis rupibus ad Methuridas insulas despiciet naufragi corpus fluctibus ad saxa provolutum conspicit, quod cum sepelire non possit, carmine in ignoti hominis flebilem interitum composito tam pie

quam poetice decorat. Callimachi hoc est, Anth. Pal. VII 277

τίς, ξένος ὦ ναηγρέ; Λεόντιχος ἐνθάδε νεκρὸν
 εὔρε' ὅ' ἐπ' αἰγιαλοῦ χῶσέ τε τῶδε τάφῳ,
 διακρούσας ἐπίκηρον ἐὼν βίον· οὐδὲ γὰρ αὐτὸς
 ἦσυχον, αἰθυλίη δ' ἴσα θαλασσοπορεῖ¹⁾).

en nauta ignotum sibi nautam mari absumptum sepeliens, cuius monumento pro nomine interrogationem inscribere coactus est. eo autem praestat Horatiano Callimacheum carmen, quod nauta alter loquitur nomenque suum indicat, quod necessario omittendum erat Horatio, quia mortuum loquentem faciebat; quem tamen et ipsum tam ignotum legentibus esse voluit quam necessario apud Callimachum erat. nimirum hominem quem efflexerat minime curabat. quo a Graeca veritate et simplicitate longe recessit, quae ab eo qui loquens induceretur et nomen et patriam et omnes res suas neglegi numquam passura fuisset. ad praeclara nobilium poetarum carmina, quae Horatium fugere non poterant, accedit e suavis quae Simonidis memoriam illustant fabulis haud ultima haec, quam Ciceronis (de div. I 56) verbis narrare placet. *Simonides cum ignotum quendam proiectum mortuum vidisset eumque humavisset haberetque in animo navem conscendere, moneri visus est ne id faceret ab eo quem sepultura affecerat; si navigavisset cum naufragio esse periturum. itaque Simonidem redisse, perisse ceteros qui tum navigavissent.* Cicero Posidonii vestigia premit, sed Stoicos divinationis adsertores, Chrysippum imprimis, eadem narrasse pro certo licet adfirmare. neque dubito quin ante conditam ab Alexandrinis grammaticis carminum Simonideorum syllogam e fabula natum sit exile hoc elegidion

οὗτος τοῦ Κείοιο Σιμωνίδου ἐστὶ σαωτήρ,
 ὃς καὶ τεθνηὼς ζῶντι παρέσχε χάριν

quod cum alibi tum in Anth. Pal. VII 77 legitur, non sine scholio, quo opus est ut carmen intellegatur. minime recens esse hoc dictichon Valerius Maximus I 7 ext. 3 testatur, a Simonide factum credere immane est, nisi forte quem opuscula sua collecta edidisse iactant, eundem etiam scholia adscripsisse volunt. fabulam hanc comparem nobilioris illius, qua Simonidem Castores Crannone ab interitu ser-

1) γ. 2 εὔρε' ὅ' ex εὔρον olim restitui. χῶσέ τε a prima manu exaratum esse in libro Palatino testis oculatus adfirmo. quod longe praestat vulgato χῶσε δέ. iam enim in extremo pentametro interpungendum est, quo facto ea quae in tumuli inscriptione necessaria sunt et ea quae dum pio munere fungitur Leontichus sentit singulis distichis comprehensa distinentur.

vasse feruntur gratiam relaturi carminis quo ab illo per excursum laudati erant¹⁾), gratia populi procreavit, ut poeta qui tot nobiles ignobiles tumulos epigrammaticis ornaverat dis manibus carus fuisse videretur²⁾).

Haec sufficiunt, ut intellegamus, quae exempla Horatium adduxerint, ut mortuum faceret mari absumptum a praetervehente nauta iura sepulturae petentem. neque in altera carminis parte quidquam est quin e loco epigrammaticae poseos communi satis explicetur. sed cur tandem haec cum Archytæ irrisione coniunxit? hoc ad poetae arbitrium necessario referremus maneretque subobscuri aliquid, nisi felici casu monstrari posset, Tarenti scaenam illius fabulae Simonideae fuisse. quod ubi animadverti, (apud Bergkium in lyricorum editione postuma III p. 475, de cuius vanis commentis dicere nihil attinet) sanequam gavisus sum. nam ultro colligebam Horatio notum fuisse sepulcrum Archytæ Tarentini in litore Matino esse, quam oram Apulus poeta solus commemorat, neque utrum in Adriatico an in Tarentino mari fuerit exploratum est; Tarentinum nunc praeoptabimus. praeterea a Simonide naufragum illum, cuius somnio vitam debiturus erat, sepultum esse legerat Tarenti. quibus in mente poetae coniunctis fabula nata est, quam carmine quod tenemus persecutus est. hanc sola loci communione contineri interpretatio docet, neque laudo, quod altera parte morte omnia finiri docetur, altera autem relligio celebratur, quae cum Epicurca doctrina pugnat. quamquam vel haec posse defendi haud ignoro, et Horatio placuisse quae mihi displicent neutri nostrum crimini verto. quippe poetae est facere carmina, philologi intellegere, iudicare utriusque.

Reliquum est ut Simonidem Tarenti fuisse monstrem. adscribenda est Libanii narratio septima quamvis corrupta, qualis in Reiskiae Libanio prostat IV p. 1101. *ἐχώρει μὲν ἐπὶ Τάραντα Σιμωνίδης ὁ Κεῖος Λεωπρόπους, ὁ ποιητής* (I. Σ. ὁ Α. ὁ Κ. π.), νεκρὸν δὲ ἄταφον ὡς ἐπέιδεν ἐροισμένον, ἠλέησέ τε καὶ θάπτει. ἡμέρῃ τῇ μετὰ τὴν ταφήν πλεῖν ἐς Σικελίαν + ὄνειράτων τοῦτον γ' ὄνει-

1) Consentaneum est, fuisse in carmine quodum Simonidis Castorum laudes, quae a rebus victoris quem celebrandum sibi proposuerat nimium quantum videbantur abhorrere. ergo praeter pietatem etiam lectorum iudicium antiqua arte non iam aduكتورum ad fabulam procreandam aliquid contulit.

2) Tenemus in Anth. Pal. VII 270 Simonidis epigramma, quod tumulo Lacedaemoniorum inscriptum fuit quos ἐν πέλαγος μὲν νῆξ εἰς τάφος ἐπέτριπεν; nomina subscripta fuisse consentaneum est. quod testimonio esse poterat fabulae, quae navem qua poeta profecturus fuerat cum omnibus navigantibus interis-
sisse tradebat.

ρατι + κωλύων. πείθεται μὲν ὁ Σιμωνίδης καὶ μένει, πλεῖ δὲ ἡ ναῦς καὶ βαπτίζεται. <ἀγγέλον> δὲ εἰς Τάραντα κομίσαντος τὸ πάθος ἐγένετο ὅσα (l. οἷα) εἰκὸς ἐπὶ τοιούτου κακοῦ. Σιμωνίδης δὲ στεφάνους τῆ στήλῃ περιέθηκε καὶ ἐναγίσας τῷ νεκρῷ σωτήρα αὐτοῦ τὸν κείμενον ἐκήρυξεν ἐπιγράμματι. καὶ τοῦτο ἡ στήλῃ δεικνύσιν. quibus libris tradita sit, qua auctoritate ad Libanium referatur haec narratio, penitus ignoro. sed ad rem nostram neque nomen neque aetas sophistae quidquam confert. nam haec progymnasmatum exempla per multa saecula in rhetorum ludis trita sunt. narratur in eadem sylloga etiam Arionis fabula, quem Tarento profectum esse Herodotus tradit, hic Libanius neglegit. ab Arione ad Simonidem Tarenti nomen translatum esse mihi quidem longe simillimum veri videtur: sed veritatem hic omnino non quaerimus, itaque sera sophistae narratione in Horatio explicando uti minime vereor. ceterum iniuria haec progymnasmata negleguntur, quae utinam codicum ope aliquis recenseat, nunc enim in incertissimo solo pedem proferre vix audemus. quo metu nisi tenerer, de alia eiusdem collectionis narratione verba dudum fecissem. credo enim carminis, quod certis iudiciis ad septimum a. Chr. saeculum aut octavum refertur, Alcaeo Clitiae Platoni notum argumentum inde maxime recuperari posse.

DE STATII ACHILLEIDE.

P. Statii carmina seminarii nostri sodalibus interpretanda nuper proposuimus, Silvas Fr. Leo, collega amicissimus, Thebaidem ego, cum propterea quia et inveniendi sollertia et dicendi audacia quidquid post Ovidium Camenae tulerunt facile superat poeta semigraecus, tum idonea rati, in quibus tractandis strenui adulescentes corruptam ab integra memoria, leves opinandi lusus a severa intellegendi arte distinguere discerent. ac de Silvis quidem Leo copiose disputavit anno proximo, mihi placuit Achilleidos paucos versus enarrare, quos ne Kohlmannus quidem integros proposuit, qui Puteanei codicis ope pleraque restituit. quo in libro unicam salutem esse luculentius etiam apparebit.

I 513 Protesilaus Calchantem acerbis conviciis compellat, ut Achillis latebras arte sua patefaciat. vatem quidem ipsum bello idoneum non esse, sed in summis ducibus habitum iri, modo effecerit, ut sua vice Achilles expeditionis particeps fiat, i. e. *si magnum Danais pro te dependis Achillem*. debet Calchas Achivis mili-

tem. pendit debitum reperto Achille. sic Putaneus, prae quo cetera omnia sordent.

I 343, dum Achilles virginis habitum simulans in aulam Lyeomedis ingreditur, Thetis lateri adhaeret monetque, ne quid in sexum quem mentitur peccet. *dicat et admoto non distat comere tactu* sic P; *non cessat* reliqui, facilius quidem, sed interpolationem quis non suspicabitur? distandi verbum ea vi qua desistere vulgo dicimus, caruisse mirum foret. Thetidem autem non destitisse a comenda quam ad regem deducit puella comparatio docet quam Statius subiungit. in hac enim legimus *comes haeret eunti mater et ipsa numeros exertaque brachia velat*.

I 381 *digreditur . . . mater, dum repetit monitus arcanaque murmura figit auribus et tacito dat verba novissima vultu*. hoc est, multa quidem submissa voce filium hortatur, cum autem tandem discedit, oculis signa dat. egregia haec, auribus et vultu inter se oppositis. *vultu* praebet P, inde corruptum casu *voto* alii, inde interpolatum *nato* viles libri et Kohlmannus.

I 393 Thetis ad Scyron. *ne solum Danaas admitte carinas, ne, precor, hic thiasi tantum et nihil utile bellis. hoc famam narrare doce*. tradita haec et vera. poterat dicere, *doce famam narrare hic nihil esse nisi thiasos* (qualis postea describitur) *imbelles*; sed noluit, vult enim re vera thiasos tantum Scyri esse. poterat dicere *hic thiasi tantum sint*; sed noluit, simulat enim iam nunc nihil utile bellis Scyri esse. an fines praescribere audaciae poetae licet?

II 75 *non tulit insidias divum . . . Agenor . . . raptam Scythico de litore prolem non tulit Aectes . . . nos Phryga semivirum . . . feremus?* in hac anaphora inculcatam inter *raptam* et *Scythico* copulam *et* nos feremus, qua caret Putaneus?

I 926. *tunc epulis consumpta dies, tandemque reiectum foedus et intrepidus nox conscia iungit amantes*. edidit haec e Putaneo Kohlmannus (*receptum* enim *foedus* in ceteris legitur), sed commate post foedus posito ne intellegerentur curavit. iungit enim nox, quae sola conscia fuerat amoris, Achillem et Deidamiam nunc reiecto foedere et concessis nuptiis intrepidus. *nox* et *foedus* legitimum coniugum concubitum significant.

I 778. Lyeomedes non iam sibi illam actatem esse deplorat, quae fuit, *Dolopas cum Scyria litora adortos perdomui, fregique vadis quae signa triumphi vidistis celsa murorum in fronte carinas*. sic haec distinguenda, male discrepta a Kohlmanno. fregit enim naves Lyeomedes et in memoriam victoriae rostra moenibus Scyriis adfixit, ibique ingredienti in urbem Achivi duces ea viderunt.

I 544. postquam Calchas latebras Achillis patefecit, Diomedes

Ulixem, ut hunc quaesitum secum eat, cohortatur. *invenies: tu tantum providus astu tende animum vigilem secundumque erige pectus. nam mihi quis vatum dubiis in casibus ausit fata videre prior?* hoc est, ingenio tantum valet Ulixes, ut Diomedes certe eo uti malit comite quam quovis vate. *τίς γὰρ ἔμοιγε ἂν τολμήσειε μάντεων τἄληθές ἰδεῖν πρότερος;* impudens videtur Diomedi vates, qui Ulixem vincere audeat. nihili est Schraderi inventum, qui *ausit* in *adsit* mutabat, ut *mihi*, dativus ethicus, haberet quo referretur. Puteaneus *non pro nam* exhibet. quod non audeo commendare, vindicabit fortasse profundior aliorum doctrina.

I 232. Thetis delphinos iunxerat, quibus filium e Chironis antro Seyrum deveheret, iubetque *subsistere pleno litore, ne nudaе νόccant contagia terrae.* ipsa Achillem dormientem ad aquas deportat, *prosequitur divam celeresque recursus securus p̄lagi Chiron rotat udaeque celat lumina et abreptos subito iamiamque latentes erecto prospectat equo, qua eana parumper spumant signa fugae et liquido perit orbita ponto.* centaurus deam et carissimum alumnū comitatur, ingreditur in mare equinis pedibus, in mari enim currus delphinis vectus est, et ut equus circumssilit digredientem in aestuosis litoris undis, dein redit celerrime. ut quam longissime prospiciens quamvis lacrimantibus oculis dilectissimum puerum prosequatur. suavissime haec mihi videtur instituisse omnia Statius, neque minima Puteanei laus est, quod *rotat* servavit, ubi ceteri languidum *rogat* praebent.

I 262. aegre ferret Statius artificia sua distinguendo obscurari. qui plurimum studium epico more in comparationibus perpoliendis collocavit atque, cum vidisset in principio plerumque longioris ut ita dicam periodi comparationes poni, ita ut protasin imaginis sequeretur apodosis narrationis, orationem ita novavit, ut longam versuum seriem concluderet splendida comparatione. deinde paullulum subsistit: coronam altis vocibus recitanti poetae σοφῶς acclamantem audire nobis videmur. ex uno Thebaidis libro versuum numeros adscribo, videant, quorum interest artem poetae rhetoris cognoscere VIII 124, 237, 255, 266, 357, 369, 423, 531, 544, 572, 616. non desunt aliter conformatae comparationes, ut in illo Thebaidis libro 691—95 aut Achill. I 315, sed longe plurimae peculiarem hanc speciem referunt. hoc igitur modo illud carminis caput, quo Thetis Achilli persuadet, ut dolis suis morem gerat, concluditur comparatione equi recens domati. tunc postquam paullulum substituit, narrare pergit poeta *quis deus attonitae fraudes astumque parenti contulit? indocilem quae mens detraxit Achillem?* et respondet interrogationi Deidamiae amore, quo Achillis rigidus

animus flexus est, narrato. grave mihi quidem videtur recte distinguere scriptorum quam edimus orationem. minoris facio, sed laudo Kohlmannum, quod criticis obstitit mentem quae Achillem detrahit expellentibus, memor fortasse Catulliani illius *quaenam te mala mens, miselle Raviide, agit praecipitem in meos iambos?*

I 723. Diomedes Ulixes imperat, ut doli Achilli struendi instrumenta praeparet. *clipeumque his iungere donis, qui pulcher signis auroque asperrimus astat. hoc sat erit*, ita Kohlmannus, *asperrimus ardet codices et editiones ex inani interpolatione fere exhibent. asperrimus hasta haec sat erit* Puteaneus. quid apportaverit Diomedes e v. 879 apparet, *iam clipeus breviorque manu consumitur hasta*. ergo si unum clipeum parasset ille, minime satis fuisset. at seligendus erat clipeus qui ornamentis alliceret oculos spectantium; hasta quacumque sufficiebat, neque necesse erat e navi peteretur, cum armati essent Achivorum duces. sententiae igitur unice congruit clipeus, *qui pulcher signis auroque asperrimus, hasta haec sat erit*, haec, quam manu Ulixes tenet et Diomedes offert, hasta. prohibuit fortasse editores, quominus optimum librum sequerentur, quod ante paene ultimam heroi versus syllabam interpunctio admitti non solet, nisi sequentibus binis monosyllabis. sed non semper ab his durioribus numeris abstinuisse Statium docent ex. gr. Theb. II 449—52 *'fac velle, nec ipsi, si modo notus amor meritique est gratia, patres reddere regna sinent'*. non ultra passus, et orsa iniecit mediis sermonibus obvia. *'reddes' ingeminat 'reddes'*. II 584 *quis timor audendi, quae tanta ignavia? solus, solus in arma voco*. V 565 *'at non mea vulnera' clamat et trabe fraenica Capaneus venit obvius 'umquam effugies'*.

II 93. Diomedes una cum Ulixes Achillem rogat, ut quomodo a Chirone educatus sit narret. *sit pretium longas penitus quaesisse per undas Seyron et his primum arma ostendisse lacertis*. ita P. sed ne in caesura quidem hiatus tolerandus est. in reliquis libris aut rasura aut corruptela est in ultima vocis *arma* et prima vocis *ostendisse* syllaba, aut locum mutant *primum* et *arma*. videtur mihi vetus mendum probe correctum, sed correctura in falsum etiam locum devecta esse, Statium autem scripsisse *his primos arma ostendisse lacertis*. *arma* in *parmam* mutare absurdum est; parma Achilli neque ostensa est, sed clipeus, nec omnino tanto heroe digna est.

Sunt in Achilleide non multi, sunt tamen aliquot loci, quos corruptos adhuc ferri credo, sed ego in duobus nunc me contineo, quos Graecis nominibus restitutis me sanaturum esse spero. I 651 Achillem *caerula mater Peneis silvis nivibusque immisit alendum Thessa-*

licis. neque habet Peneum flumen silvas, neque Thessaliae flumen toti Thessaliae potest opponi, neque traditum *Peneis* in optimo libro, sed *Paeneiouis*, quod conflatum est ex *Paconiis* et *Peneis*. nulla regio aptius cum Thessalia componitur quam Thracia.

1484. omnes Graeci Achillem fortissimum omnium esse concedunt, *cedit turba ducum vincique haud maesta fatetur*. sequitur adnexa sic ut modo descripsi comparatio. *sic cum pallentes Phlegraca in castra coirent caelicolae . . . stabat anhela metu solum natura tonantem respiciens*. deos palluisse, cum contra gigantes se accingerent, iure suo negarunt critici, nec conveniret hoc Graecis, qui haud maesti Achilli cedunt. sed quod eosdem *palar*i volunt, ineptum est: conveniunt enim e suis quisque terris, Mars e Thracia, Minerva Tritone, Apollo Delo. *bellantes* autem otiosa est interpolatio. confidenter pono eos *Pallenes Phlegraca in castra* coisse.

DE PLAUTI PERSA.

Quae nunc edisseram libenter Kiesslingii iudicio subicerem, qui in Plauto lectitando a mero sermonis veteris studio emendandique periculis ad artem comicam aestimandam et exemplaria Graeca investiganda mature se converterat et Aululariac exemplum post Gallorum irruptionem compositum esse felici acumine investigaverat. ego autem cum adulescens magis quam hodie comoediae Graecae studerem, incundissimum inter nos erat quaerendi commercium, et in dies magis nobis persuadebamus, Plautum multo plura exemplis suis debere quam plerique crediderant, eximia ac vere Latina sermonis et argutiarum arte decepti, hortabamurque discipulos, ut Graecorum potissimum vitam mores religiones fabulas Plautinarum comoediarum ope illustrarent, quorum studiorum Kiesslingius in Bacchisin et Mostellaria luculenta dedit exempla, alia in dissertationibus nonnullis a philosophorum Gryphiensium ordine probatis ad persuadendum apte disputata sunt, denique ego occasione data Pseudoli Curculionis Amphitruonis Graecarum tempora breviter definivi. Plautum exempla sua non e scriniis librarium petisse, quod Ennius tragicus et Terentius fecerunt, sed ea vertisse quae in scaena Graeca cum maxime ferrentur, mihi persuasum est, neque aliter fecisse videtur Naevius. itaque ignobilis ceteroquin poetae Demophili esse Asinariam minime miramur, et Captivos fortasse ne Athenis quidem neque florente aetate na-

tam esse etsi sensu tantum ductus suspicor. sed etiam in scaena Menander Diphilus Philemo plerumque spectabantur, neque fieri omnino poterat, quin tantum non omnia quae Romani interpretabantur poetae centum fere annis ante Athenis scripta essent.

Iuvat hoc in Epidico ostendere. in quo exercitus civium Atheniensium magna cum praeda ab expeditione redit quam Thebas fecerant; urbem captam esse quamquam non dicitur (neque enim Plautus aut Romani haec curabant) e magna captivarum mulierum caterva colligitur. eodem tempore Euboici milites Athenis degunt (153), e quibus unus inducitur, Rhodius natu (300), quod mirandum non est: novimus Demetrio et Antigono regnantibus etiam Athenis multos militasse peregrinos. in expeditione Thebana stipendia fecit Stratippocles adulescens; pater eius Periphanes Pallensis¹⁾ est, *quem in adulescentia memorant apud reges armis arte duellica divitias magnas indeptum* (450). idem Epidauri filiam procreavit nunc prima aetate florentem. ergo Thebae ab exercitu Graeco, maxime Atheniensi expugnantur quindecim fere annis postquam Atheniensis civis sub regibus Epidauri stipendia fecit. reges illos Antigonum et Demetrium esse quicumque tempora illa perscrutatus erit primo obtutu suspicabitur, conveniuntque optime Demetrii expeditiones, quas fere annis 304—2 Athenis in Graeciam et Peloponnesum fecit. idem Demetrius bis adeo Thebas expugnavit 293 et 290: ad hunc annum quidquid in Epidico commemoratur accuratissime convenit. nam filiae anno fere 303 procreatae annos nemo morosius pernumerabit. verum est annorum qui post expulsum e Graecia Demetrium proximi sunt memoriam densa nocte premi²⁾. sed quod

1) *Platenius* traditum est v. 434. 448, quod multo propius a *Παλληνεύς* abest quam a *Πλωθεεύς*.

2) De fastis Atticis nihil nunc constat nisi falsos esse quotquot aut a me aut ab aliis propositi erant, opusque est ut a fundamentis restituantur. ego nunc satis habeo eclogam monstrare comoediae, quae fere aequalis esse videtur Epidici. legitur apud Athenaeum p. 280 tributa Carystio Apollodoro. qui si fuit re vera aequalis Machouis (Athen. 664), neque hanc scripsit *Γραμματειδιόποιόν*, neque *Ἰέρειαν*, in qua Ophelae (mortui a. 308) et Eurydicæ nobiles nuptiae commemorantur (Athen. 243). et Geloo tribuit Pollux Grammatidipopœum Apollodoro. quamquam grammaticis in distinguendis Apollodororum comicorum fabulis nullam auctoritatem esse periti haud ignorant. in ecloga igitur illa Fortunæ inhumanitas accusatur (morem peripateticis familiarem facile sentimus), quae Graeciam a Graecis conteri patiat. “quanto enim suavius viverent, si Atheniensium quotquot triginta annis minores essent combiberent, equites in dies decem Corinthum evocarentur comissatum, coronis et unguento mane iam ornati, si Megareses quas nunc vendunt ipsi coquerent rapas, si socii in balinea abirent, Euboenses vinum miscerent”. hinc colligimus re vera

propter summam rerum gestarum ignorationem infitari non possumus, gesta fortasse esse Pyrrhi Antigonique aetate quae Epidico convenirent, hoc profecto rationem modo subductam non infringit. certissimum autem Menandri morte recentiore esse Epidicum. quam qui scripsit personis et causis et artificijs novae comoediae diutino magnorum poetarum usu stabilitis dextre uti callet (pleraque enim vel in Plauti comoedia satis perspicua mihi videntur), sed ultra mediocritatem nulla in re se extollit.

Ad artem comicam cognoscendam non multum conferunt tam sero natae fabulae: ante Menandrum scriptas desideramus. sed quantumvis desiderarem, ego quidem a Plauto nullam Demosthenicae aetatis comoediam expressam esse mihi persuaseram, donec praeter opinionem animadverterem Persam mediae comoediae esse, vitiis suis iam magis memorabilem quam virtutibus futuram. somnia me narrare putabitis. verebar ipse primum ne somniarer; sed manifesta res est nullique dubitationi obnoxia, scripta enim est superstite Persarum regno fabula, in qua Timarchides Atheniensis expeditioni interest a rege Persarum in Arabiam susceptae, et Persa puellam ex Arabia raptam Athenis vendit. quae quod non re vera facta sunt, sed a Toxilo servo finguntur, ad hanc rem omnino non pertinet. finguntur enim quia fieri tunc poterant. quodsi ratio constat, qua quidquid in comoediis de tempore praesente pronuntiatur ad ipsum tempus referimus quo comoedia composita est, res confecta est. ac profecto Strepsiadis et Pithetaerus Aristophanis, Chremes et Micio Menandri aequales sunt. dei enim servit comoedia imitatrix vitae, speculum consuetudinis. quem usum natura ipsa progenuit, operaeque esset pretium examinare, quatenus ad magna nomina, Molierium Goldonium Calderonem idem pertineret. valuisse eum Athenis demonstrare non necesse est: refutet exemplo qui contrarium adfirmare audeat. nam mythologicas fabulas tragoediae vestigijs insistentes in hac quidem causa procul habendas esse patet. quamquam Thebae Amphitruonis omnino non Herculis sed poetae aetatem redolent, atque in hac ambiguitate summa huius comoediarum generis gratia sita est.

cum haec comoedia scriberetur, civium Atheniensium iuniores in exercitu fuisse, equites Corinthum esse convocatos prima luce expeditos, Megareses summa inopia pressos esse, denique socios fuisse Athenis, inter quos Euboenses fuisse certe probabile est. earundem partium enumerari socios cum alia docent tum quod Corinthum equites Athenienses vocantur per fines Megaresium. quam societatem subditam esse Macedonibus Corinthus et Euboea demonstrant, firmamenta illorum dominationis. ergo facillime de Demetrii imperio annisque eisdem cogitabimus, quibus Epidicum adscripsimus.

poterat fortasse comicus poeta certo consilio praeteritum tempus fingere: sed Persae rebus Seleuci Antiochive regnum non minus bene conveniret, nihilque erat cur poeta Toxillum Saturionemque patris aut avi sui aequales faceret. quid quod Seleuci Antiochive aetate e Persis hospitem laud facile induxisset, qui postquam regno excederant inter ignobiles et propter ipsam longinquitatem Graecis parum notos populos fuerunt, donec Arsacidarum virtutibus vetus gloria renascetur. nullo autem tempore *ex Persia* venire poterat dici (495) qui veniret ex Arabia, nisi cum totam Asiam Persae obtinerent. at Ochi, regis fortissimi, qui mortuus est 338, temporibus omnia conveniunt eximie, permultosque Athenienses etiam sub Codomanno stipendia fecisse constat. itaque huius aetatis Persam esse contendo, doctam, dum Aristoteles in Lyceo antiquam et Aristophaneam cum nova et aequali comoedia comparat.

Perlustrabo primum paucos versus, in quibus aetatis indicium aut est aut quaeri potest. v. 123 cynicus et commemoratur et describitur cum supellectile sua. *ampullam strigilem scaphium soccos pallium marsurpium habeat, ληκύθιον στλεγγίδα ποτήριον ξμβάδας τριβώνιον πήραν*, e quibus Diogenes nonnulla postea abiecisce dicitur. in comoediae Graecae reliquiis nisi fallor ante Menandrum Cratetis aequalem non commemorantur cynici, et Pythagoristarum potius squalorem Diodorive Aspendii ¹⁾ pallium ridet me-

1) Hunc medio saeculi quarto fuisse recte docuit Ungerus, Stratonici citharoedi aetate secundum locupletes auctores circumscripta. quamquam in singulis testimoniis indicandam solitas sibi turbas fecit. testes dictorum et artis Stratonici habemus Ephorum Phaeniam Theophrastum Clearchum, imprimis Callisthenem (cf. quae Kaibel II p. 268 Athenaei sui adnotat. p. 268, 26—271, 28 Callisthenis sunt). hos si sequimur, aetatem invenimus quam recte definit Ungerus, nihil igitur curamus Machonem, de veritate dictorum quae versibus reddit merito securum. hic enim Nicoclem et Nicocreonem, regulos Cyprios, confudit. Capito autem qui cum Ptolemaeo rege Stratonicum disputasse vult, regem Ptolemaeum nullum nisi Aegypti regem dicit: an tu credis Traiani aetate quemquam de alio cogitasse? at Ungerus, perditae sagax, Ptolemaeum aliquem Aloritam Stratonici temporibus Macedoniae regnum affectasse reminiscitur: hunc igitur a Capitone dici! magis expedit ostendere, qui ille Capito fuerit, quem poetam fuisse et ad Philopappum misisse miscellae lectionis libros (*ὅπου μνημῆματα*) Athenaeus tradit, patriamque indicat Alexandream. tamen eundem esse credo Q. Pompeium Q. f. Coll. Capitonem Pergamenum poetam, cui Athenienses statuam posuerunt CIA III. 769, derisi propterea a Dione Prusensi 31, 116, quod plane egregia coniectura assecutus est vir vere Graecae et eruditionis et humanitatis Stephanus Cumanudes. sicut enim Athenienses et Romanam et Pergamenam civitatem Capitonis memorant, ita Athenaeus,

dia comoedia. sed Diogenem Alexandri aequalem esse pueri sciunt, et Onesicritus cynicus in Macedonum exercitu fuit, et canis nomine iam Antisthenes usus est. itaque quominus aetate Demosthenica haec scripta sint, cynicus non impedit, suadet vero, ut multo credantur antiquiora. — 137 Megaris Athenas venit leno. nullam haec indicant aetatem, sed de Neaira idem narrari ab Apollodoro accusatore neglegere nolui. — 159 ad Saturionem interrogantem, unde filiae in Persicam virginem mutandae ornamenta summat, *Toxilus abs chorago sumito, inquit, dare debet, praebenda aediles locaverunt.* consimiliter iocatur Plautus Trin. 857; idem fit in Captivorum prologo 61, et in Curculionis parabasi a chorago recitata 464. et fuisse inter technitas Bacchicos *ἱματιοῦσθας* inscriptiones Soteriorum Delphicae docuerunt. quamquam in Curculione choragus ornamenta locat, in Persa ab aedilibus locata accipit. itaque videri possit aediles intulisse Romanus poeta, in exemplari autem repperisse choragum; similiter enim ludit Aristophanes Pac. 1062. sed incerta re non abutar, ut antequam choragi Athenis agonothetae cesserunt, i. e. ante Demetrii Phalerei aetatem, Persam scriptam esse concludam. — 339. filia Saturioni exprobravit quod ventris causa se vendere vellet, cui ille *mirum quin regis Philippi causa aut Attali te potius vendam quam mea.* Plantum suae aetatis regibus uti consentaneum erat, neque in alteram utram partem quidquam hoc efficit. cave tamen credas, a comico Attico similia non potuisse dici, antequam reges Graecis dominarentur. imo multo plus salis ioco eidem infuit, si Demosthenica aetate in scaena Attica Atheniensis homo dixit *ἀλλὰ ὑπὲρ ἑμᾶντοῦ σε πωλεῖν μᾶλλον δεῖ με ἢ ὑπὲρ Φιλίππου.* tunc enim permulti Philippi gratia se suosque patriamque vendere ferebantur. — 395 Saturio Atticis tantum legis se uti iactat, Siculis nullis. etiam tertio saeculo haec fortasse conveniunt, sed multo magis aetati Philippi, quem logorum Atticorum collectionem talento emisse tradit Telephanes

qui Alexandriae scribit suamque urbem iactare solet, Alexandrinam in eodem efferre poterat homine civitatem. me autem, ne duos poetas Capitones distinguam, Philopappi adducit nomen, ad quem Athenaei Capito librum misit. quem fuisse C. Iulium Antiochum Epiphanem Philopappum Besaensem, cuius tumulus in Museo est Athenis, ad quem Plutarchus de adulatore et amico libellum dedit, vix quispiam negaverit. Capitonis fortasse epigramma legitur Anth. Pal. V 67. ut ad Stratonicum redeam, hunc a Plauto vel potius a Diphilo commemorari Rud. 932 optime intellexit Ostermayer (de histor. fabul. in Plauti com. Gryph. 1884 p. 60): dimidio fere post mortem Stratonici saeculo haec Diphili scripta sunt. sed nihil hoc miri habet: eodem tempore peripatetici in dictis eiusdem colligendis multi sunt.

qui de urbe scripsit¹⁾. — 703 *longa nomina contortuplicata* habere dicuntur Persae. ne huic quidem ioco aetatis indicium inesse volo, quamquam Alexandri potissimum bellis Asiana nomina familiaria esse debebant vel Atheniensibus. Anacyndaraxis nomen risit in dialogis Aristoteles, quod quamvis minime Persicum aptissime cum his lusibus componimus, quos Plautus crassa Minerva amplificavit. haec igitur omnia nihil re vera docent, neque plura id genus percensere placet, velut boves Eretriae, modo ne bellum esset, semper emi poterant (259). qui rem certissime conficerent, Hegias et Diodorus saltatores (824. 826), mihi quidem ignoti sunt.

Deinde argumentum comoediae enarrandum est, quod ut recte perspiciatur, et ius Atheniense et consuetudo iure ipso longe humanior advocanda sunt. Toxilus, Timarchidis Atheniensis servus (dispensatorem, *ἐπίτροπον*, esse credideris), dum erus peregre est, in Lemniselenidis Dordali servae amorem incidit. quam cum redimere non possit (servus enim neque servae erus neque libertinae patronus fieri potest) lenoni persuadet ut ante diem certam ne vendat, qua die se tantum ei pretium soluturum esse iurat quantum, ut ipsa se in libertatem vindicaret, leno postulaverat. magnopere autem illi suscenset, quod nisi iurato fidem sibi non habuerit neque ante diem statutam amica frui permiserit. quod ille non iniuria fecit. neque enim Toxilo contingit ut necessariam pecuniam in tempore sibi comparet. itaque Sagaristionem, alius eri servum, rogat, ut quovis modo sibi opituletur, mox autem dolum comminiscitur, quo pecuniam ab ipso lenone excutiat. constituit enim Saturionis Atheniensis, parasiti sui, filiam tamquam peregrinam Dordalo vendere, quo pretio accepto amicam liberare possit. virginem autem a patre statim in libertatem vindicandam esse. quae omnia ita fiunt; sed cum Sagaristio felici casu pecuniam qua opus est nactus sit, hac potius utitur Toxilus, ut Lemniselenin liberet; virginem autem, quam e Persia surreptam esse simulat, Dordalo vendit, ut Sagaristionis pecuniam reciperet. re bene gesta Toxilus Sagaristio Lemniselenis potantes Dordalo ludificantur.

Romanis servulorum Atticorum licentiam in multis comoediis miram fuisse constat, cum a moribus eorum tanto opere abhorre-

1) Athen. XIV 614^a. hinc eadem eclogis Theopompeis infercit Athenaeus VI 260, ubi pro Telephane Hegesandrum appellat auctorem. scilicet sicut permultos alios Telephanem quoque per Hegesandri Memorabilia tantum novit. operae pretium esset, ea quae bis terve habet Athenaeus omnia data opera examinare, multa enim ad auctores suos ita revocari, de multis certius fieri iudicium expertus scio.

ret, sed hic Toxilus ceteros servos longe superat audacia et superbia. emit meretricem sescentis nummis, imperat conservo Paegnio, contemnit Dordalum, liberum hominem, parasito utitur cive. Plautus in principio fabulae admirantem facit Sagaristionem *iam servi hic amant* (25), sed postea Graeci poetae vestigia premit, neque profecto ad Romanos mores haec maxime Atticam fabulam poterat revocare. quippe non solum qui de republica Attica scripsit Cleonis aetate servos Athenis liberrime vivere conquestus est, aut Paphlagonem in conservos suos saevientem inducit Aristophanes, sed Periclem scimus rei familiari suae praeposuisse dispensatorem servum (Plutarch. Per. 16, 5), et Demosthenis in Calliclem oratio Callarum vilicum in fundo eri ad arbitrium omnia administrantem, vicinis civibus negotia facessentem, in ius vocatum describit. nullum autem vitae Atticae documentum magis luculentum est magisque dignum quod cum Persa componatur quam Hyperidis contra Athenogenem oratio, Gallorum philologorum sollertia ac felicitate ex inferis nuper suscitata: Midam servum magnam aeris alieni molem contrahere, quasi patria potestate in filios uti, cum filiis redimi manuque mitti videmus. quae oratio cum fere aequalis sit, hanc quam instauramus comoediam optime illustrat. verum quantamcumque vitae licentiam Attica mansuetudo servis concessit, servi tamen sunt, suo nomine nihil possunt in iure agere, in manu eri manent. itaque Toxilus Lemniselenin neque emit neque manu mittit, sed a Dordalo ea condicione manu mittitur, ut Toxilo appareat: similes condiciones in actis Delpheis aliisque liberationum titulis multae leguntur. Athenis cum talia lapidibus non inscriberentur neque per fictionem quae dicitur legalem servi liberandi deo alicui venderentur, factum est ut multa quae scire expediret memoriae non traderentur. persaepe liberantur servi in comoedia, sed nisi fallor per solum eri verbum. quem coram populo proclamasse se servum hunc liberare aliunde scimus. sed utrum talis proclamatio lege praescripta fuerit, an nomen liberti ad magistratum aliquem deferendum fuerit, non exploratum est. quamquam habuerint liberti necesse est aut libelli legitime obsignati aut testium auctoritatem, quibus libertatem demonstrare possent. Dordalus pretio accepto (438) simpliciter dicit, se liberare iam Lemniselenin, et in forum abit, ut nummos quos a Toxilo accepit argentariis proponat examinandos (quantum quidem e loco lacero colligi potest); ubi autem redit, quasi apud praetorem professus sit Lemniselenin a se manu missam esse, loquitur (437). in quibus quatenus Graecos Romanis moribus mutaverit Plautus, ambigo. multa ab eo novata esse certum est, siquidem quidquid in credendi verbo luditur, a

Græco sermone alienum est; cavendum igitur, ne singulos iocos trutina iuris Attici nimis anxie perpendamus. velut Athenis homo quem ne civem quidem esse constat, dicere non poterat *Atticam hodie civitatem maximam maiorem feci atque auxi civi femina* (474). namque Romæ quidem libertinus civitate utitur quamvis non plena, Athenis vero nec ipse nec posteri eius umquam nisi totius populi beneficio civitatem nanciscuntur. Atticum contra fortasse est, quod libertæ recens liberatæ supplicatum eundum est (447). morem quidem hunc ignoro, sed Argis similem fuisse constat (de quo dixi Herm. XIX 463), et religioni Græcæ optime convenit; phialas a libertis Minervæ dedicatas quamquam aliam ob causam hand inepte in comparationem vocaveris, cf. Herm. XXII 110. Toxilus, ut amica statim fruatur, supplicationem procrastinat iubetque illam clam ad se deduci (446). quod cur velit, non indicatur, et poetæ maxime intererat, ne non suo tempore scaenam intraret Lemniselenis, sed sine omni ratione nec Toxilus hoc iuberet nec Dordalus iussum laudaret. verebatur scilicet, ne palam fieret, quanta pecunia uteretur quantaque luxuria viveret, ne invidia vicinorum eri animum a se abalienaret. Dordalus postea eidem minatur, se in compedes eum coniecturum esse, quando erus redierit (787). quæ quamquam coniciendo nullo negotio supplemus, tamen a Græco poeta pluribus tractata fuisse consentaneum est. utut est, neque ad summam argumenti neque ad tempora exempli a Plauto expressi definienda hæc quidquam conferunt.

Sed hand iniuria in eo haeremus, quod Saturio parasitus postquam Dordalum in ius rapuit neque ipse in scaenam redit, etsi opulenta cena a Toxilo paratur, neque quid in foro inter eum et lenonem gestum sit, omnino certiores finis. de suo Plautus Romanum antestandi morem et prætorem intulit (746): quid Atticus poeta voluerit, e iure Attico certissime definitur. leno puellam peregrinam furto scilicet surreptam suo periculo emit, ita ut neque sygrapham habeat, per quam bona fide se fecisse demonstraret, neque vadem emptionis neque testem. itaque statim postquam pretium puellæ solvit *qui ego nunc scio*, inquit, *an iam adseratur hæc manu* (716). nec fecellit eum metus. irrupit enim pater puellæ, civis Atticus, vindicat eam in libertatem (*ἐξαγορεύει εἰς ἐλευθερίαν*) et lenonem *qui hic commercatur cives homines liberos* in ius rapit (*ἀπάγει*). quo rapitur? hoc ex crimine definitur. *ἀνδοροδοσίης* est, cui recta ad undecim viros eundum est, hoc est ad carnificem. quodsi legem Atticam memoria tenemus, vis eum totius doli, quem Toxilus in lenonem intendit, tum scaenæ huius, in qua Saturio eum aggreditur, mirum quantum augetur, Plautus

autem multa quae nimis Graeca ei viderentur resecurisse censendus est. quo magis quid Dordalus re vera perpessus sit, actu quinto narrari flagitamus, praesertim cum leno graviter lamentetur, parasitus autem ne adsit quidem. ac nescio an supplere liceat quae desideramus. quippe parasitus filiam suam tam inhonestum in locum nunc quidem temere deducit, nam Toxilo amicam non iam necesse est conciliet, Sagaristionis tantum pecuniam a lenone extorquet. et quod ventris causa se haec facere iactat, inane est, cum cenae non intersit. quid eum permovet ut Dordalo parceret, ut a cena abesset? utrumque ita supplendum est, ut comoediae argumentum probabiliter inventum constet. supplemus igitur Dordalum magna pecunia data a Saturione impetrasse, ut a causa ἀνδραποδισμοῦ, quam ei intenderat, desisteret; Saturionem postquam in foro a trapezita Dordali pretium silentii accepit, cum filia et praeda domum se recepisse. atque aut fallor aut in ipsa fabula locum indicare possum, ubi Saturio futura praedixerat. quod multo aptius, antequam Dordalus in ius raperetur, fiebat, ne impuro lenoni propter ingens quod capiti eius imminabat periculum studere inciperemus. postquam puellam emit Dordalus subito in domum suam intrat reditque post sex versus (725—30) vociferatus, se interim *domi omnis loris transcendisse*. in scaena interim Saturio a Toxilo vocatus apparuit. haec tam rudia sunt, ut aut Plauto aut Graeco comico ineptias imputare aegre velimus. cum autem duo de sex his versibus ex alia eiusdem fabulae parte (727. 28, 467. 68) repetiti sint, longam fortasse et lepidam scaenam ab histrione misere concisam esse nostro iure concludimus. nec magis idoneus locus foret Saturionis consilio aperiendo. quem exultasse, quod doli tam prospere cessissent, cum filia, nequitiae partes non minus callide sustinente quam verecundiac, argute disputasse, denique pollicitum esse credo, se terriculis ἀπαγορῆς a Dordalo tot Philippeos extorsurum esse, ut tandem aliquando domi satur fieri possit.

Quae quamquam haud inepte disputata esse opinor, tamen non efficiunt, ut minus rudi artificio poeta Dordalum scaena exire iusserit. sed Menandrea elegantia in eo neutiquam expectanda est. imo quod neque singulis versibus neque ex argumento efficere potuimus, hoc arte comica examinata fortasse probabile reddemus, ante novam comoediam exultam et perfectam Persam compositam esse. cum Toxili dolus, quo fabula continetur, duplex esset, duabus prologi scaenis opus erat, altera Sagaristionem, altera Saturionem cum Toxilo confabulantem inducit. non inepta haec, sed scaenas parum affabre coniunctas esse confitendum est, et Toxilum quem

modo desperantem vidimus subito viam salutis indagasse miramur. quae vitari poterant, si solita, quam ab Euripide nova comoedia mutuabatur, prologi forma poeta uti voluisset. ommissa enim scaena prima Saturio, qui nunc quoque verum recitat prologum, prodire poterat et narrare, quae heri inter cenam a Toxilo audiverat, in eo iam esse ut amica privaretur, frustra se adisse cum ceteros amicos tum vaferimum Sagaristonem. deinde evocato Toxilo nova consilia cum parasito erant communicanda. sed ego certe minus eleganti arte me magis delectari fateor, cum sollemnis usus, sive per monologum sive inducta persona protatica causam exponit, per ipsam repetitionem taedium facile moveat. actus secundus quantum ad argumentum comoediae fere supervacaneus est, cum Sophoclidiscae nutricis ad Toxilum, Paegnii ad Lemniselenim nuntii sine idonea causa mittantur. apparet et poetae et spectatoribus lascivos Paegnii iocos multo magis quam fabulam ipsam cordi fuisse. actus tertius et quartus omni laude inventionis dignissimi sunt, sed eandem rursus deprehendimus in conectendis scaenis artis infantiam. et intrant et exeunt personae plerumque soli poetae arbitrio obsecutae, sin vero causam abeundi proferunt, ipso silentio peior est; cuius generis exemplum supra vidimus. actus quintus denique victorum quasi triumphus est. quae Romano poetae omnia imputare non licet. scimus quidem Plautum eo progressum esse, ut doctae Menandri fabulae, Adelphis, quam Sticho reddebat, agrestes servorum commissantium lusus adnecteret. sed in Sticho additis quae omnino abhorrent argumentum perverti ipsi sentimus; in Persae exodo nihil est quin cum servilibus personis optime conveniat, neque brevissimae et tamen absolutae fabulae partem abscindere licet, quae Paegnii cinaedi procacitate risum spectantium tam quinto quam altero actu captat. igitur fatendum est poetam in conectendis scaenis procul abesse ab ea arte, quam. v. gr. Andria aut Eunuchus aut Bacchis Menander prae se fert, praestare haec quidem a parte vel Epidicum. sed veterem comoediam, cum chori canticis actus distingueret, episodica non conexuisse satis constat. choro fere intermortuo scaenas spatium vacuum dirimit, *χοροῦ* paragrapha in libris, tibiatarum aut fidium cantu fortasse in theatro distinctum: unde actuum quinorum ordo sensim natus est, a Menandro tamen et Plauto alienus. quicumque Plautum tolerat, Persam non nimis vituperabit. sint tamen haec quoque ambigua: actus quintus multo proprius abest ab Aristophane quam a Menandro, atque Aristophanes adeo, qui Musae suae castitatem prae aemulorum servilibus et obscenis iocis extollere solet, nullam composuit scaenam quae plebis studiis hominis vapulantis eiulati-

bus delectatae unice serviret. genus comoediae pravum est, sed in hoc genere optimus Persae actus quintus, dum modo legentis mens et animus frigidis versibus sanguinem dare sciat, quem in theatro per histriunum motus tiliarumque modos accipiebant. accumbunt ante aedes Toxilus cum amica sua et Sagaristio, Paegnum pincernae munere fungitur. tristis accedit Dordalus, quem per ludibrium ut accumbat Toxilus invitat: iam lascivissima sequitur Paegnii saltatio, qui modo cyathum Dordalo offert, modo cinaediciis motibus eum lacessit, modo pedibus ferit; nec pausam facit nisi ut novos cyathos potantibus ministret. deinde postquam Hegiae, nobilis saltatoris, staculum puer imitatus est, etiam Sagaristio Diodori Ionica saltatione se exercet. quantum creditis risisse plebeculam, cum bubulus modo e pistrino solutus mollissimos cinaedorum motus periclitabatur. postremo et Toxilus et Lemniselenis surgunt, quamquam haec patrono tam crudeliter illudere aliquantisper cunctatur, et Dordalus humi proiectus miserrime proculeatur, donec manus dat domumque fugit: *spectatores bene valete: leno perit: plaudite.* plausisse credo et Romae et Athenis; sed hanc comoediam neque poeta in cuius animo Gratiae habitabant neque Theophrasti amicus composuit. tam quinto quam tertio saeculo fuisse qui plebi servirent consentaneum est, forma vero exodi veteris usus, comissionis, speciem servat, et ipsa saltatio Vesparum aut Pluti potius quam Adelphorum aut Rudentis aut Mercatoris nos admonet. nam Casina, etsi non minus lascivam scaenam et actionem alacriorem adeo continet, sollempni fescenniorum nuptialium ritu excusatur et formam exhibet longe diversam. hoc enim antiquae comoediae peculiare est, ut in comissionem exeat.

De moribus personarum quod dicam non habeo, nisi non singulorum hominum omnes esse, sed suum quamque genus referre, in scaena fortasse saepius quam in vita spectatum. Dordalus quia leno est, impurus et periurus esse creditur, ipse talem se esse profitetur, sed inhonesti nihil committit. Saturio de parasitica arte multa verba facit, sed quae facit, sycophantae potius sunt. Lemniselenis serva et meretrix vero Toxili amore teneri videtur. Sagaristio modo nequissimus servus est, vapulare et in pistrino torqueri solitus, modo magna cum pecunia tamquam fidelissimus servus peregre mittitur et summa in amicum fide est. virgo quamquam castitatis et verecundiae partes constanter defendit, tamen omnium meretricum artes superare scit. sed hanc inconstantiam quominus aegre feramus, celeritas et nervi et vigor sermonis prohibet. qui Aristophanem ipsum ipse cognoverit, Dicaeopolin Philocleonem Trygaeum ceterosque omnes primarum

partium personas semper quidem placere scit, semper, ut ita dicam, ad vivum esse delineatos, ita tamen ut constantiam et quam inde ex Aristotele critici requirunt unitatem in tota unius hominis imagine semper desideremus. ea potissimum comoedia quae tragicas personas inducebat inde ab Ulixibus et Cocalo usque ad Amphitryonem natura sua cogebatur, ut ex hac morum inconstantia gratiam suam quaereret. atque per rhetorum *ἡθοποιίαν*, quae in Lysia et Hyperide plane absoluta est, magisque etiam per Peripati *ἡθιζοῦς χαρακτηρισμοῦς* sero exulta est admirabilis illa hominum fingendorum ars, quae a comoedia nova per Plautum Terentiumque cum ad alios tum ad Molierrum devenit, novae comoediae principem. nam Shakesperius quidem in plerisque comoediis cum Aristophane potius componendus est.

Sed quid haec omnia ad aetatem comoediae a Plauto expressae? nihil omnino. artem poetae definivimus, non aetatem. quae ars modo ab Aristophane, modo a Menandro propius abest, media igitur est inter antiquam et novam comoediam. sed non is sum, qui aetatem fabulae hinc definiam. rudiores et plebeios poetas etiam florente Menandro fuisse consentaneum est, sicut quinto saeculo non omnes magna et populi Atheniensis maiestate digna tractabant. certis temporibus mediam comoediam circumscribere omnino non licet, neque credo hoc voluisse Alexandrinos grammaticos, cum duabus quas peripatetici distinguebant comoediis mediam adderent. sed genus comoediae medium distinguebant. cui cum Ulixes Cratini, Cocalus et Aeolosico Aristophanis tribuantur, cuius princeps cum Plato feratur, ex arte non ex aetate aestimatas esse comoedias colligimus. quamquam etiam tempore medios fere esse eos poetas qui genus coluerint inter Aristophanem et Menandrum medium consentaneum est. sed inter hos quidem longe aliud est discrimen. quippe semel funditus innovata est comoedia Attica, tum eum chorus tollebatur, histriones phallos ponebant personasque et ornamenta sumebant vitae cottidianae magis convenientes. quod quando fuerit (intra annos fere 380—340) utinam aliquando definiatur. neque despero fore ut figulina Graecorum ars haec quoque in causa litteris Graecis salutem ferat; quin acturum esse de comoediae monumentis rumor est invenem archaeologum, qui nuper paucis sed admodum perite de eadem egit. choro abiecto auctus fortasse est histrionum numerus, nam non solum mutarum personarum turba saepe inducitur, sed quaternis aut quinis actoribus multae comoediae indigent. Persa, quam recentis huius comoediae esse non est quod deserto pronuntiem, Lemniselenin fortasse *παροχορήγημα* habet, quandoquidem bis terve pauca verba

facit. ceteroquin Toxillum unus, Dordalum alter, Sagaristionem et Saturionem tertius histrio agunt: quarti virgo et Paegnium sunt, gravissimae partes, quae aut puerum actorem flagitant aut exiguū corporis, formae delicatae, saltandi peritum adulescentem, in cuius arte fortuna comoediae paene tota versatur. rursus Aristophanis reminiscimur; Acharnenses enim omnino non possunt agi, nisi puer chorago praesto est, qui Odrysarum legati, Dicaeopolidis filiae, Nicarchi partes suscipiat, et Vespae tres adeo pueros saltatores requirunt. verum in virginis partibus quam maxime deprehendere mihi videor mediae comoediae indolem, neque timeo quod mihi obiectum iri scio temeritatis opprobrium, cum e sermone Plauti de Attici comici sermone iudicium ferre audeo. pauca excribo exempla

346 *modice et modeste melius vitam vivere,
nam ad paupertatem si admigrant infamiae,
gravior paupertas fit, fules sublestior.*

355 *pater, hominum immortalis est infamia,
etiam tum vivit, quom esse credas mortuam.*

637 *omne ego pro nihilo esse duco quod fuit, quando fuit.
tamquam hominem, quando animum esclavit, quid eum
quaeras qui fuit?*

644 D. *captusne est pater? V. non captust, sed quod habuit
perdidit,
D. quis fuit? dic nomen. V. quid illum miserum memo-
rem qui fuit?
nunc et illum miserum et me miseram acquomst nominarier.*

Orestes Euripideus Iphigeniae nomen quaerenti sic respondet 500 τὸ μὲν δίκαιον δυστυχεῖς καλοῦμεθ' ἂν. neque admonitione egebunt periti, ut tragicam et Euripideam dictionem in omni virginis sermone agnoscant. colores divisiones sententiae tragoediam sapiunt, eodemque hoc dicendi genere virgo utitur, sive cum patre familiariter colloquitur, sive puellae ex Arabia penitissima surreptae partes agit. nimirum virgines in comoedia induci non magis solent, quam in publicum prodeuntes vita cottidiana eas videbat; eadem inter sollemnes tragoediae personas sunt. itaque poeta non nimis ingeniosus, cum virginis suae sermonem aliquo modo a proterva servulorum et parasiti dicacitate distinguere recte vellet, ad tragicarum heroidum exemplum se applicuit. multo quidem magis apposite, sed similiter tamen fecerat antiqua comoe-

dia, quae non solum ridiculi causa Iridem aut Aeacum *παροτραιγω-
δοῦντας* inducit, sed etiam Praxagoram et Lysistratam, ubi gra-
viter ac serio agunt, ad tragicam sublimitatem evehit. Miltiadem
autem et Aristidem utpote heroas tragicis versibus uti voluit Eu-
polis. sunt haec quidem alius generis, sed quanto studio media
comoedia sermonem et tragicum et dithyrambicum expresserit,
pleraeque Antiphanis eclogae docent, et magnum novumque erat
quod Menander effecit, ut tumido nec tamen tragico ore iratus
Chremes delitigaret. quod ut perficeret, eo ethopoeiae studio opus
erat, ea oratorum philosophorumque aemulatione, a qua Persae
auctorem longe abesse cum supra cognovimus tum virginis per-
sona luculentissime docet.

Satis diximus, quamquam fortasse non deerunt, qui ideo nos
nihil agere clamitent, quia ipsi nihil interesse inter hanc et ceteras
Plauti comoedias sentiant. argumentum nobis unum est, quod e
Persarum regni commemoratione repetivimus: cetera omnia eo con-
silio disputata sunt, ut Demosthenicae aetati graecam comoediam
a Plauto expressam convenire appareat. neque enim e mediae
comoediae indole, quam hodie nemo nosse potest, in hac quaestione
proficisci licet, sed ubi de Persae exemplo constiterit, mediae comoe-
diae una certe species, quae servos et infimam plebem inducebat, e
Persa paullo rectius aestimari poterit. hoc me effecisse spero.

Quamquam in comoedia Graeca, quae post Aristophanem fuit, um-
bras adhuc captamus, captabimusque necessario, donec aut sepulera
Aegypti aut Vesuvii cinis et lapilli aut membranac bis terve
rescriptae in monasteriorum situ nunc marcentes Menandrum red-
dent. reddent enim aliquando: confido numinis divini iustitiae,
quae comoediae per haec saecula inter Romanenses maxime populos
florentis Graecam matrem ore teneri non semper patietur, modo ne
ipsi Graecos deseramus, quos reges ignorant, plebs doctorum indoc-
torumque contemnit, dei quanti faciant novis quotannis thesauris
oblatis clarissime ostendunt. nec victa est quae deis placuit causa.

PA Willamowitz-Moellendorff,
6122 Ulich von
W5 De tribus carminibus latinis
commentatio

**PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET**

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY
